

TRACTATUS  
Theologico-Moralis  
PARS PRIMA  
De  
HORIS CANONICIS.

---

CAPUT I.

*Quid sint Horæ Canonicae, & quæ  
eas recitare pium ac  
laudabile.*

**H**oræ Canonicae dicuntur eas preces & laudes divinae, quæ ex præscripto Canonum Ecclesiasticorum certis horis cantari aut recitari debent: Ecce cum proprium Ecclesiasticorum munus sit eas cantare aut recitare, alio nomine officium Ecclesiasticum dici solent: Ex eo autem, quod ex S. Scriptura, SS. Patribus, gestis Sanctorum, &c. breviter in unum collectæ sunt, à brevi rerum plu-

Horæ Canonicae cur alio nomine dicantur officium Ecclesiasticum, aut Breviarium.

rimatum in unam collectionem rectè Breviarii nuncupatur. Atque hunc orandi modum laudabilem omnino esse, pium, ac salutarem, exindè facile perspicitur, quòd Ecclesia hac ratione juxta monitum Christi Luc. 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*, quodammodo semper oret, Deum laudet, ac divinorum beneficiorum memoriam incessanter celebret.

Illas dicere  
pium & lau-  
dabile est.

## CAPUT II.

*Quinam ad recitationem Horarum graviter obligentur.*

**O**bligati ad recitationem Horarum Canonicarum obligantur sub gravi peccato Clerici factorum Ordinum, & beneficiati, itaque quidem, ut graviter peccent, si Horas vel semel absque justa causa omittant, vel si unam ex illis v. g. Tertiam, Nonam, Completorium, &c. voluntariè negligant, quamvis omittens vespers Sabbathi Sancti non videatur peccare graviter ob parvitatem materiz, vid. *Neusser de Hor, Can, disp. 8.*

Obligati ad Horas sunt Clerici factorum Ordinum, & beneficiati, Quid si unam Horam v. g. Tertiam absque justa causa omittat, aut vespers Sabbathi Sancti.

CANONICIS. 11

q. 2. n. 9. (utrum Religiosi ad  
 chorum professi, Moniales aut  
 Canonici ad recitationem Ho-  
 rarum sub pari obligatione te-  
 neantur, de eo videantur *Navar.*  
*5. 7. de orat. Medina q. 7. de orat.*  
*Cajetanus ver. Hor. Canon. &c.*)  
 est commun. DD. solé, que præcipue  
 præberi ex antiqua & generali  
 consuetudine Ecclesie vim legis  
 obtinente. Nam Canones, qui vi-  
 dentur præcipere recitationem  
 Horarum, quos vid. apud *Less.*  
*lib. 1. c. 37. dub. 9.* potius lo-  
 quantur de Presbyteris curatis,  
 aut Clericis beneficiatis, quàm  
 Diaconis aut Subdiaconis. Bene-  
 ficiatos autem, hoc est eos, qui  
 habent plenum dominium bene-  
 ficii, fructusque percipiunt, aut  
 percepturi sunt, obligari constat  
 ex Concil. Lateran. sub Leone X.  
 ratio obligationis est, quia benefi-  
 cium datur propter officium spiri-  
 tuale, quod magna ferè ex  
 parte consistit in recita-  
 tione Horarum.

\* \* \*

## CAPUT III.

*De modo recitandi Horas Canonicas: Et quando censentur  
dici studiosè.*

**H**Oræ Canonicae tam publicè,  
quàm privatim recitandæ  
sunt iuxta decretum generalis  
Concil. sub Innoc. II. *Studiosè &*  
*devoirè.* Studiosè dicentur primò,  
si recitentur absque synopa, hoc  
est, verborum quorundam omis-  
sione, qualis foret, si prima verba  
versiculi jungerentur ultimis, om-  
missis intermediis, & hæc syneco-  
patis, sive vocum ommissio, si esset  
valde notabilis, peccabitur gravi-  
ter; quia fit contra strictum man-  
datum Concilii in re gravi: quòd  
si non sit notabilis excessus, erit  
peccatum veniale. Si autem hoc  
fieret involuntariè v. g. ex bal-  
butie, consuetudine inobta &c.  
quæ emendari nequit, nullo mo-  
do peccabitur. Recitans cum socio  
non censetur ea omittere, quæ  
per socium leguntur, quia audien-  
do illum, lecta à socio moraliter  
facit sua. Et hunc recitandi mo-  
dum Ecclesia permittit, habetque  
locum

Non debent  
recitari  
cum syno-  
pa verbo-  
rum.

Notanda  
quædam  
circa reci-  
tationem  
horarum  
cum socio.

locum etiam in aliis precibus ex voto aut praecepto recitandis, quia moraliter censetur recitare totum quod ex voto, &c. recitare debuerat. Si plures simul recitent, non dicent singuli per ordinem suum versum v. g. primus primum, secundus secundum, &c. sed factis veluti choro alternatim singuli versus recitabuntur, ita enim fert usus Ecclesiae: nec obstat tamen inter multos simul recitantes, unus solus sit, qui in priores versus praecet, ceteris alternatim respondentibus: Lectiones poterunt per ordinem diei aut ab uno recitante audiri: eademque est ratio de orationibus, capitulis, responsoriis, quae socio recitante audiri possunt. *Bonac. disp. 1. q. 5 p. 2. § 1. Trull. d. 16. n. 17, &c.* Secundò, si singula verba integrè pronuncientur sine mutatione vel abscissione quarundam syllabarum praesertim ultimarum: Interim absorbendo quasdam syllabas solum peccabitur venialiter, quia manet substantia precum, ita ut preces ab audiente intelligi possint. Uod recitans cum socio absorbente syllabas satisfacit obligationi suae: Imò et si quaedam distinctè non

Debent dici sine abscissione quarundam syllabarum, praesertim ultimarum.

Quid si socius absorbent quasdam syllabas

percipiat, quæ ab altero choro  
cantantur, aut a socio legatur,  
nihil idcirco repetendum erit,  
quia moraliter loquendo fieri ce-  
ferur, quod juxta humanam fra-  
gilitatem fieri poterat. Absorber-  
do syllabas involuntariè v. g. ex  
congenito al quo lingua vitio, &c.  
nullum erit peccatum, vid. *Leff.*  
*lib. 2. cap. 17. dub. 10. Laym. lib.*  
*4. tract. 1. c. 5. &c.* Valde spian-  
dum hoc loco, ut vel ecclesie seu-  
patur in cordibus Ecclesiastico-  
rum aureum illud monitum Sy-  
nodi Basiliensis Sess. 21. *Quòd ad*  
*majoris erga supremum Numen*  
*reuerentiam propriam attentionem*  
*ac devotionem communem astan-*  
*tius adificationem maxime in pu-*  
*blico cantu beneficiati vel in sacris*  
*constitutis seridè morentur, ut di-*  
*uinum officium dicant prolatione non*  
*præcipiti, sed distinctè, non festinan-*  
*ter ac cursim.* Ubi solus privatim

Aureum  
monitum  
Synodi Ba-  
siliensis.

Suntne pri-  
vatim reci-  
tandæ tam  
clare, ut re-  
citans se-  
ipsum au-  
dire possit.  
Non sunt  
interrum-  
pende abs-  
que causa

recitans non tenetur tam clarâ vo-  
ce legere, ut se ipsum audire possit,  
quia de hoc nullum existat præce-  
ptum Ecclesie. *Laym l. c. &c.* Ter-  
tiò, si preces non interrumpantur  
absque causa, quia sine hac inter-  
rumpere continet aliquam irre-  
uerentiam, quamvis venialem.

nisi

an interruptio sit valde brevis, quia parum pro nihilo reputatur. Si causa interrupti adsit, tamen in medio cursu orationis, v. g. Psalmi, aut Lectionis desistas, vel dures interruptio per unam aut duas horas, nullo modo peccabitur, nec erit obligatio repetendi priora, licet propotueris repetere jam lecta, quia semel recitanda satisfacisti debite obligationi. Clericus cardius ad chorum accedens, Horam iam inchoatam pergere poterit in reliquis, postmodum suppleudo, quae omisit: & non probabile est, nihil suppleendum esse, si parum in choro processum fuerit, quia sicut in auditione Missae, ita & hic omisso modici altari non solet. Similiter non sunt supplenda, quae omittuntur, dum quis occupatur re aliqua ad officii celebrationem pertinente v. g. thronificando, librum parando, &c. quia totus chorus pro illo suppleere censetur, unde necis, qui choro alternatim responderi organo, non tenetur alternos versus voce proferre, v. *Laym. l. c. Nav. Rodrig &c.* Quarto, si recitentur juxta praescriptum Breviarii Romani, jussu Pii V. editi, Omnes enim vi

Quid si interruptio esset valde brevis.

Aut heret in medio Lectionis aut Psalmi ex causa

Quid si Clericus jam coepit horam veniat ad chorum.

Aut occupatur re aliqua ad Officii celebrationem pertinente,

Sunt recitanda juxta praescriptum

citas,

tum Bre-  
viiarij Ro-  
mani.

Quid di-  
cendum de  
Capitalis  
& Conven-  
tibus, qui  
200<sup>o</sup> annis  
ante consti-  
tutionem  
Pii V. alio  
Breviario  
utuntur,

Etne lici-  
tum Cleri-  
cis prædi-  
ctorum Ca-  
pitolorum,  
&c. priva-  
tim uti Ro-  
mano Bre-  
viiario.

*aisale Bulla* ad Romanum obli-  
gantur, exceptis Capitulis, Mo-  
nasteriis & Conventibus, qui du-  
centis annis ante constitutionem  
Pii V. alio Breviario utuntur, his  
tamen permittitur, ut cum con-  
sensu Episcopi aut Prælati & ipsius  
Capituli suum Breviarium in Ro-  
manum commutare possint, vid.  
*dit. Bulla* Quod si dicta Capitula  
&c. Breviarium Romanum semel  
admisserint, non poterunt hoc re-  
lictum suum antiquum reassumere,  
ut rectè notat *Suarez lib. 4. cap. 11.*  
*n. 4.* quia Pontificæ concessionis,  
quæ antiquum ritum retinere per-  
mittebantur, tenuerit esse censetur.  
Ceterum licet nonnulli DD.  
censent, Clericos prædictorum  
Capitolorum aut Conventuum  
non posse privatim uti Romano,  
eò quod quisque suæ Ecclesiæ se  
conformare debeat; Probabile tamen  
est, posse eos privatim uti Ro-  
mano, quia nullum jus hoc vetatis  
& plurium consuetudo illud ap-  
probat. Proinde ne quidem in  
choro obligabuntur ad Psalmos  
pœnitentiales, graduales, Offi-  
cium defunctorum, &c. quæ no-  
tantur in Rubricis generalibus ad  
usum Breviarii Pii V. Officium



CANONICIS. 17

zamen B. V. in choro recitandum est, ubi consuetudo id obtinet; vid. *Bull. Pij V. Less* &c. Excipe Officium defunctorum in die annimarum, quod ab omnibus etiam extra chorum recitari debet, quâzatione etiam Litaniaz omnium Sanctorum festo S. Marci & diebus Rogationum ab iis, qui publicæ processioni non interfunt, dicendæ erant, quia utrumque est pars officii hisce diebus. Quamvis *Dian. p. 26 to. 12 resp 42.* cum aliis id neget, dicatque videri probabile, non adesse obligationem hæc recitandi diebus. Suppositâ autem sententiâ prioræ, ut potè communi, & magis probabili, satisfacet suæ obligationi juxta *GA VANI.* & alios, qui pridie vespere post Matutinum & Laudes recitat Officium defunctorum aut Litanias præfatis diebus. Accessorium enim sequitur illud, quod principale est. Principale autem est ipsum Officium divinum, cujus Matutinum & Laudes, cum pridie dici possint, pars ipsis annexa similiter dici poterit, vid. *Gob. tract. 9. cas. 23. sect. 2.* Qui inculpate v. g. ex inadvertentia aut necessitate, ut quia aliud

Notanda aliqua circa Officium defunctorum in die annimarum nec Litanias festo S. Marci, & diebus rogationum.

Qui citra culpam v. g.

Offi-

ex mera in-  
advertentia  
mutat Offi-  
cium, ad  
quid obli-  
gabitur,

Quid si  
culpate &  
scienter  
mutaretur  
Officium.

Officium ad manum non habet  
&c. mutat Officium, dicendo de  
feria, cum de Sancto dicendum  
esset, non peccat, nec est obligatus  
quidquam repetere, quia implevit  
substantiam præcepti, quæ in eo  
consistit, ut septem Horæ Cano-  
nicæ quotidie dicantur; Ut autem  
recitetur hoc vel illo modo v. g.  
de feria, dominica, &c. solum  
pertinet ad circumstantiam Offi-  
cii, quæ non est tanti momenti.  
Unde qui etiam culpate, hoc est,  
scienter omisso proprio, alud re-  
citavit, non tenetur quicquam re-  
petere; quamvis scienter mutando  
Officium peccet venialiter. Nisi  
forte in fraudem legis Officium  
valde longum mutet in aliud valde  
breve v. g. dominicale in paschal-  
le, vid. *Laym. lib. 4. tract. 1. c. 5.*  
item, *Sententias damnatas ab Alexi.*  
*VII. n. 34* aut etiam frequenter &  
perpetuo mutet, quia videtur esse  
gravis inordinatio sufficiens ad  
peccatum mortale, *Laym. l. 6.*  
contra alios, qui etiam in fre-  
quenti mutatione ob supra alla-  
tam rationem non nisi venialem  
culpam agnoscunt, vid. *Less. lib. 10.*  
*c. 37. dub. 12. Sylvest. Azor, &c.*  
contra alios plures docentes quæ-  
vis

vis mutatione Officii factâ voluntariè peccari graviter, vid. *Tol. lib. 3. c. 13* interim rectè morè: *Less. l. 2* valdè forè laudabile, si totum Officiu n repetatur, cujus loco aliud per errorem aut spontè recitatum est, vel saltem ea repetantur, quæ ad proprium Officiu pertinebant, etsi solitum esset hinc aus aut antiphona. Imò advertens suum errorem intra ipsum Officiu, ut benè notat *Card. Lugo resp. moral. l. 5. d. 8*. Non continuabitur, sed tel quas Horas leget conformiter Officio dici currens. Quinò, si recitetur tempore à jure vel consuetudine præfixo, idque præcipuè in Officio publico, quamvis si absque scandalo etiam in choro tempus Officii tendunt mutaretur, res è peccabili graviter, quia hæc temporis circumstantia ad substantiam rei præceptæ non pertinet, vid. *Cajet. verb. Hor. Canon. cap. 4*. In privato autem Officio etsi laudabile sit, ut singulæ Horæ suis temporibus & intervallis juxta normam Officii publici dicantur; Ad vitandum tamen peccatum mortale sufficere illas recitare intra spatium, quod est à medio, hoc est, à

Advertens errorem suum intra ipsum Officiu, quid faciat.

Sunt dicenda tempore à jure vel consuetudine præscripto.

Matutinum  
& Laudes  
quâ horâ  
pridie dici  
possint.

Laudibus à  
Matutino  
sejunctis  
estne præ-  
mitten-  
dum, Pater  
& Ave.

duodecima noctis præcedentis, usque ad medium noctis sequentis, satisfacit enim substantiæ præcepti. Cæterum consuetudo nunc obtinet, ut Matutinum & Laudes dicantur pridie horâ quartâ post meridiem, quamvis Laudes, si ita lubeat, à Matutino sejungi & in alium diem differri possint. Quibus à Matutinis separatis, non necessariò præmittes Pater & Ave, ut quidam volunt, cum nulla de hoc exstet Rubrica, vid. *Less l. c. Tamb Gav.* Imò probabile est, ne quidem peccari venialiter ab eo, qui incipit Matutinum & Laudes horâ secundâ post meridiem, quâ ex recepta consuetudine licet recitare Matutinum & Laudes, quando dies inclinât ad occasum, quod circa secundam pomeridianam fieri videtur; Hæc enim tempore in diversis Ecclesiis publicæ Vesperæ cum Completorio dici solent: Adeòque censendum est ex mente Ecclesiæ horâ secundâ pomeridianâ diem inclinare ad occasum. Id, quod indicat hymnus Vesperarum in sabbatho. *Iam sol recedit igneus.* Item hymnus dominicæ: *Illabitur tetrum chaos.* *Beander diffus. 4. q. 43. cum aliis.*

aliis, contra Sanch. & alios, qui  
 volunt peccati venialiter. Quam-  
 vis & hoc veniale evitari possit ac-  
 cedente justâ causâ, qualis foret, si  
 pridè alicujus festi plures con-  
 fessiones audiendæ forent ab hora  
 tertiâ usque ad Vesperam. Multò  
 probabilius non peccabit, qui  
 horâ tertiâ incipiet, etsi nulla  
 adsit causa præsertim hyeme, quâ  
 Sol propinquior est occasui. De  
 ætate quævis rationabilis causa,  
 ut major commoditas, &c. excu-  
 sabit incipientem horâ tertâ, vid.  
*Gob. tr. 3. cas. 28. sect. 4.* ob sim-  
 lem causam v. g. majorem de-  
 votionem, commoditatem stu-  
 dendi, &c. poterunt Horæ mi-  
 nores usque ad Nonam inclusive  
 omnes simul manè recitari, imò si  
 justa causa adsit v. g. faciendum  
 iter, aut alia longa occupatio, &c.  
 etiam Vesperæ adjungi possunt  
 pro ut habetur, *c. 1. de celebratio-  
 ne Missarum*, non autem Com-  
 pletorium, nisi major necessitas  
 urgeat, quæ raro obvenire solet.  
 Vid. *Laym. l. 6. cap. 3. Less. &c.*  
 Optimè quidem prædictæ Horæ  
 recitabuntur eâ parte diei, quam  
 hymni earum indicant, ut Pri-  
 mam jam lucis orto sidere, hoc  
 est,

Horæ mi-  
 nores quo  
 tempore  
 recitandæ  
 sint.

22 DE HORIS

est, ad vel paulò post ortum solis.  
 Tertiam aliquantulum post or-  
 tum solis, Sextam cum sol ad me-  
 ridiem vergere incipit, hoc est,  
 non diù post recitatam Tertiam.  
 Nonam propè ut post prandium.  
 cum vesperum appropinquare di-  
 cimus, juxta hymnum: *Largire  
 lumen vespere, Vespere dicitur Com-  
 pletorio: Cum sol recedit igneus.*  
 Verùm quia tempus Horarum à  
 jure præscriptum ex recepta con-  
 fuerudine magnam habeat lati-  
 tudinem, omni culpâ vacare v. de-  
 tur, qui Primam cum Tertia re-  
 citat duabus vel tribus horis ante  
 ortum solis, idque in hyeme,  
 quando sol in hisce partibus ori-  
 tur post horam octavam, item  
 Sextam & Nonam non diù post  
 ortum solis v. g. circa horam octo-  
 nam tempore hyemali: Aut qui  
 in æstate Primam, Tertiam, Sex-  
 tam, & Nonam duabus vel tri-  
 bus horis dicit post ortum solis,  
 Vesperas cum Completorio sta-  
 tis vel paulò post mer. diem, quia  
 censetur moderata, & non in-  
 consueta temporis immutatio,  
 vid. Laym. l. c. Bonac. de Hor. Can.  
 disp. 1. q. 1. p. 3. Dicere autem  
 Vesperas ante meridiem extra  
 tempus

tempus quadragesimale vel Ma-  
 rtinum, Primam, &c. post me-  
 ridiem sine causa erit veniale,  
 quia est immoderata & insolita  
 temporis mutatio. Vespera, quae  
 tempore quadragesimae ante  
 prandium dicenda sunt, privatim  
 etiam post prandium dici possunt,  
 quia Rubrica Breviarii non vide-  
 tur imponere praeceptum, v. *Nay.*

*Trull. &c. Sexto*, si recitentur  
 eo ordine, quo ab Ecclesia recitari  
 solent. Qui citra causam hunc  
 ordinem immutat, dicendo v. g.  
 Primam ante Laudes, vel Laudes  
 ante Martinum, peccabit venia-  
 liter. Quia ordo Horarum extra  
 chorum est circumstantia minoris  
 momenti, unde si ex iusta causa  
 aut per inadvertentiam distus  
 ordo invertatur, v. g. in gratiam  
 amici aut alterius viri gravis invi-  
 tantis te ad secum dicendas Ho-  
 ras posteriores, aut hae in choro  
 dicerentur, prioribus à te non-  
 dum persolutis, omni culpam im-  
 munitis eris. *Tol. l. 2. c. 13.* Septimo,  
 si publicè dicenda sunt, dicantur  
 in Ecclesia, privatim in quovis ho-  
 nesto loco, & distractionibus non  
 exposito, nam citra necessitatem  
 dicere in tali loco, est veniale pro-

Recitanda  
 sunt ordi-  
 ne, quo ab  
 Ecclesia  
 recitari  
 solent.

Quid si ex  
 iusta causa  
 hic ordo  
 inverte-  
 retur.

Horae quo  
 loco priva-  
 tim dici  
 possint.

pro-

propter periculum distractionis, cui se ipsum ultrò exponis; sicut dicere in loco immundo propter irreverentiam, quamvis *Tamb. de Hor. Con. Sanch. &* alii id negent, si præ se contemptu casu vel ex incidente occasione aliqua in loco immundo & humanis necessitatibus deserviente orares. Nam ubi licitum est mente ad Deum suspirare, isthic quoque licitum erit, linguâ & voce eundem invocare. Qui timidior est, aut nimium angitur, neoret in loco distractionibus exposito, oret quovis loco, quem judicaverit sibi convenientem, quia cum anxietate & scrupulis locus ad orandum non est querendus. Denique si recitentur eo corporis situ, qui à Rubricis præscribitur, Hæ tamen Rubricæ genuflexionem, stationem, &c. præscribentes, non obligant ad culpam, maxime in privata recitatione *Bonart. lib. 3. cap. 28. n. 14. Suarez &* alii. Poterit tamen per situm delinqui venialiter, si sub oratione immodesta & minus decens corporis compositio adhibeatur. *Tamb. in decab. l. 2. cap. 5. §. 6.*

Item quo  
corporis  
situ.



## CAPUT IV.

*Quâ ratione censeantur Hora devotè recitari.*

**D**evotè recitabuntur, si cum debita attentione & reverentia dicantur, nam ad orationem tanquam ad actum religionis, requiritur reverentia. Est autem attentio duplex, alia externa, quâ quis attendit ad pronunciationem verborum & decentem corporis compositionem, simulque ab illis operibus, quæ cum attentione interna consistere nequeunt, qualia sunt fabulari, pingere, scribere, &c. alia interna, quâ attenditur vel ad Deum, aut res divinas, vel sensum verborum, vel denique ad ipsa verba cum intentione & animo orandi & vacandi Deo. Quæ intentio quia includit attentionem animi saltem confusam ad Deum, ut patet, attentio ad verba cum prædicta intentione & animo orandi & vacandi Deo, censetur esse attentio interna; & distinguitur ab attentione merè

B                      externa,

Dicuntur devotè, si cum debita attentione & reverentia dicantur. Statuitur duplex attentio.

Estne suffi-  
ciens atten-  
tio merè  
externa ad  
recitatio-  
nem Hora-  
rum.

Probabi-  
lius & ve-  
rius requi-  
ritur inter-  
na.

externa, quâ ad sola verba atten-  
ditur absque ulla animi attentione  
ad Deum. Sufficere attentionem  
merè externam ad recitationem  
Horarum multi DD. probabiliter  
sustinent, quos citat *Less l. c. d. 11*,  
eò quòd Ecclesia videatur præci-  
pere preces solùm materiales, illis  
non dissimiles, quæ alternatim  
organo, aut alio musico instru-  
mento fieri solent; Sicut enim per  
has laudari Deus & aliquid ab  
eo impetrari potest, ita quoque  
per illas. Unde juxta hanc senten-  
tiam voluntariè sub Officio divi-  
no distractus non peccabit gravi-  
ter, nec obligabitur ad quicquam  
repetendam, aut faciendam fru-  
struam restitutionem, modò in-  
tegrè omnia pronuntiaverit, ne-  
que exterius sese occupaverit a-  
ctionibus cum attentione interna  
incompatilibus. Verùm senten-  
tia contraria requirit attentionem  
internam ad recitationem Hora-  
rum verior est & probabilior, quia  
oratio merè externa absque in-  
terna animi attentione non est o-  
ratio, sed simulatio orationis;  
Undè qui solam externam spe-  
ciem orantis assumit, non potest  
digi devotè orare, cum ora-  
tio

tio fit mentis in Deum elevatio ,  
 vid. *Less. l. c.* Sufficere autem at- Sufficit ta-  
 tentionem internam modò di- men ea ,  
 &am ad sola verba (quamvis ea , quæ est ad  
 quæ est ad sensum verborum , sit sola verba.  
 optima. Si hunc non assequaris ,  
 melior erit illa , quâ , dum verba  
 pronuncias , attendis ad Deum  
 aut res divinas , de his pii aliquid  
 animo volvendo aut meditando )  
 docet *Less. l. c. Sanch.* & plures  
 alii , quia sic attendens censetur  
 verè orare & mentem in Deum  
 levare Ex quo apparet , quàm fa-  
 cile satisfieri possit præcepto Ec-  
 clesie , cum hæc plus non exigit ,  
 quàm ut animo orandi & lau-  
 dandi Deum sacra verba pronun-  
 cies , nec voluntariè quicquam  
 animo volvas , quòd necessariam  
 attentionem ad verba & reveren-  
 tiam ad Deum excludat , & ra-  
 tiùs evenire soleat , ut animus  
 omninò voluntariè volvat ali-  
 quid , quòd necessariam attenti-  
 onem ad verba & reverentiam ad  
 Deum impediat. Nam imprimis  
 quævis tenuis attentio ad verba ,  
 quæ periculum errandi in his re-  
 movere potest , ad ritè orandum  
 sufficit , ut patet in illis , qui dum  
 verba pronunciant , cogitationi-

bus de Deo aut rebus divinis occupantur. Ad hæc animus laudandi sive vacandi Deo cum levi & tenui distractione ad alia objecta etiam aliquo modo voluntaria stare potest. Manet siquidem cum huiusmodi tenui distractione confusa quadam attentio ad Deum, in qua supra, attentionem internam ad orandum necessariam, constituimus. Porro non revocatur animus orandi sive vacandi Deo, nisi per actum dictæ voluntati contrarium, ut si verba solum pronuncies non animo orandi, sed eadem ediscendi, aut animum omnino voluntariè occupes rebus profanis, & alienis à Deo cogitationibus. Quia hoc ipso, quod omnino voluntariè vacas rebus profanis, censeri implicite revocare voluntatem orandi, quæ voluntas expressè revocatur, si volis ad Deum attendere, implicite si advertens animi distractionem, negligas mentem ab objecto cogitato avocare. Si invitè & non advertens distractionem pateris, oratio subsistit coram Deo. Sufficit enim in hoc casu attentio virtualis, quæ ex voluntate vacandi Deo a principio elicita manet per

Attentio  
interna quæ  
ratione re-  
vocetur.

Quid si quis  
invitè &  
non adver-  
tens distra-  
hatur.

coram

totam orationem , nisi explicitè aut implicitè revocetur ; Non est autem necessè , ut sub initium orationis distinctè exprimatür voluntas vacandi Deo , sed sufficit, si intendas dicere Officium more debito & consueto , sive velis orare Horastuas , nam in hujusmodi voluntate implicitè continetur voluntas orandi & vacandi Deo.

Pro sincerissimo cordis mei affectu , quo optimum Deum ab omnibus attentè orari & laudari desidero , minimè præterite possum fallimam praxim , cavendi plurimas sub oratione occurrentes distractiones , non semel à me eum fructu usurpam. Quæ in eo consistit , ut per decursum Horarum , aut aliarum precum advertas ad eas voces , quæ à certa litera ex alphabeto assumpta inchoantur , v. g. primâ die adve tas per omnes Horas ad voces à litera A incipientes , secunda à litera B ceptas , tertiâ à litera C , & sic deinceps usque ad finem alphabeti exceptis tribus postremis , x , &c. quæ in latinis vocibus rarius inveniuntur. Nam hæc ratione alligata quodammodo ad certam literam phantasia vix fiet , quia

Opportuna praxis cavendi distractiones sub precibus.

sufficienter attendas ad verba, & cum verbis, si illa intelligas, eorum quoque sensum assequaris.

## CAPUT V.

*Statuuntur causa, propter quas dicitur  
vinum Officium sine peccato  
omitti potest.*

**C**Ausæ justæ, ob quas citra peccatum Officium divinum omitti potest, sunt sequentes. Primò, si absque notabili dolore capitis, oculorum, lachryone valetudinis, aut aliâ gravi molestiâ dicere non possis, in dubio standum est iudicio superioris, confessorii, aut prudentis & probi medici.

*Azor tom. 1. lib. 10. cap. 13. §. 1. Nav. Suarez &c.* Quòd si ipse medicus dubitet, si tunc infirmitas gravis aut levis, non erit obligatio recitandi, quia non teneris periculo gravis damni v. g. valetudinis notabiliter lædendæ te exponere, vid. *Tamb. in decal. lib. 1. cap. 2. §. 7.*

Secundò, si gravis mali periculum imminet ex recitatione Horarum v. g. carceris, mortis, &c. inter infideles, aut hæreticos. Tertiò, si gravis aut repentina occupatio, qualis foret,

populi

Omitti possunt, si dicere nequeant absque notabili lachryone valetudinis,

Aut si gravis mali periculum imminet ex recitatione Horarum.

populi tumultum subito exortum vel occur-  
 sedata, aut alia necessaria aut ho- rar gravis  
 nestra interveniat, ut concio, con- &repentina  
 fessionum auditio, &c; quæ sine occupatio,  
 scandalo vel notabili damno pro cum qua  
 prio aut alieno omitti vel differri Horarum  
 non possit, & eum qua Horarum recitatio  
 recitatio moraliter loquendo sta- moraliter  
 re nequeat. Quartò, si ob impo- stare ne-  
 tentiam v.g. quia Breviario cates, quit.  
 Horas dicere non potes. Qui ex Si adsit im-  
 aliqua impotentia Matutinum & potentia.  
 Laudes dicere acquit, potest tam- Quid si ex  
 men reliquas, tenetur ad illas, vid. impotentia  
*Sent. damn. ab Innoc. XI. n. 54.* non posses  
 Quòd si alicujus Horæ v. g. Ma- dicere Ma-  
 tutini aut Vesperarum partem tutinum &  
 notabilem dicere nequeas, ab il- Laudes,  
 lius recitatione excusaberis, quid posses tamè  
 obligaris ad Horas juxta formam reliquas  
 Pii V. præscriptam. adeòque ad Horas,  
 Horas substantialiter tales, pars Aut si alicu-  
 autem Horæ non est substantiali- jus Horæ  
 ter Hora. Imò si certus sis, te ob notabilem  
 ægritudinem, al' à me impoten- partem non  
 tiam totum Officium recitare posses dice-  
 non posse; Dubitas autem, an re.  
 nam aliquam partem dicere pos- Vel si cer-  
 sis, non obligaberis, quia Ecclesia tus, te non  
 cum tanto rigore non obligat, ut posse dicere  
 materiam anxietatis & scrupu- totum Offi-  
 lorum, qualis esset in præsentia cium, dubi-  
 tares, an u-  
 nam aliquã  
 partem di-  
 cere posses.

Immemor  
à se dictam  
fuisse Ho-  
ram aliquā,  
quid faciet.

casu, præbere intendat, vid. *Laym* d.  
*l. 4. rr. 1. c. 6.* Qui non recordatur  
à se dictam fuisse unam ali-  
quam Horam v. g. Tertiam, si  
communiter nihil soleat omittere  
nec recordatur se non dixisse il-  
lam, non tenetur quicquam re-  
petere, quia prudenter præsumit  
se dixisse illam, *Sanch. l. 4. conf.*  
*mor. c. 2. dub. 34. Laym. &c.* Imò  
malè facit repetendo, quia aperit  
viam scrupulis, sicut & ille, qui  
habet probabilem rationem aut  
conjecturam, se dixisse hanc vel  
illam Horam, vel Horæ partem,  
*Sanch. l. 6. Tamb. &c.* Quintò, si  
per dispensationem legitimi Su-  
perioris v. g. Pontificis, Episcopi;  
&c. ab onere Horarum eximaris.

Vel deniq;  
si adsit di-  
spensatio.

## CAPUT VI.

*Ad quid tenetur Beneficiatus Ho-  
ras culpabiliter omittens.*

**B**eneficiatus culpabiliter omittens Officium Canonicum, tenetur ad restitutionem fructuum pro ratione neglecti Officii, ita ut qui uno die totum negligit, teneatur restituere  
omnes



omnes fructus illius diei qui M ratione ne-  
 euntum cum Laudibus, me am gl. Si Offi-  
 partē fructuum, qui reliquas Ho- cii.  
 ras, similiter mediam partem, qui  
 unam ex illis sextam partem, vid.

*Bull Pii V.* Ab hac obligatione Ab obliga-  
 excipere, qui primis sex men- tione testi-  
 sibus omittit Officium, hunc enim tuendi fru-  
 ipse Pius V. eximit. Secundò, qui ctus quinam  
 post primum semestre negligit se sine immu-  
 mel aut bis in anno. *Sotus, Covar* nes.  
*ru* apud *Laym. l. 4. tr. 2. cap. 5.* Quid si Of-  
 Præsumitur ex clementia & beni- ficiū se-  
 gnitate Ecclesie, quæ instar ele- mel aut bis  
 mentis domini unius aut alterius in anno o-  
 dici neglectum servitium, si aliàs mittatur.  
 toto anno debite ipsi servitū fue-  
 rit, nõ magnopere curare creditur.  
 Sententia tamen *Laym.* qui con-  
 trarium sentit, conformior est  
 constitutõibus Concilii Latera-  
 nensis, & Pii V. Qui docent in  
 hac ipsa ratione modo allata fun-  
 dati non obligati eunt, qui intra  
 annum octies vel decies Officium  
 negligit ut *Escob. in summa tract.*  
*§. Ex 6. Menoch. Crucius. &c.*  
 numquam videntur recedere à ver-  
 bis & sensu Bullæ, Tertio, eum, qui  
 quidem omisit notabilem partem  
 unius Horæ, sed non æquivalen-  
 tem unam integram ex parvis. *Dian.*  
 pars unius  
 Horæ, æqui-

Valens tñi  
integre ex  
parvis.

Er. 12. ref. 26. quia leges pœnales sunt strictè intelligendæ, aded que de actu moraliter perfecto & consummato. Quarto, cum, qui

Quid de eo  
qui præter  
Officium  
divinum  
habeat alias  
functiones  
quæ stipen-  
dium me-  
rentur.

præter Officium divinum habet alias functiones, quæ verè merentur mercedem sive stipendium, *Sanct. lib. 13. cap. 13. Bonac. &* alii contra Suarez & alios, quia ex praxi timoratorum Bulla Pii V, eo sensu videtur recepta, ut pro aliis oneribus, præter recitationem Officii, Beneficiato competens salarium relinquatur. Undè etiam Canonicus probabiliter non tenebitur plus restituere ob neglectas Horas, quàm certam fructuum partem prudentum iudicio æstimatam, *Tann. tom. 13. dist. 5. q. 1. sub. 7. Less. &c.* Reliqua autem sibi reservare pro aliis oneribus, quia redditus beneficii non dantur propter solum Officium divinum, sed etiam propter alia spiritualia munia à Canonico præstanda. Imò Parochus, Sacellanus, aut alius, habens beneficium curatum, &c. si habeat exiguos redditus, ex probabili sententia ob neglectas Horas ad nullam aut certè modicam juxta prudentis arbitrium restitutionem tenebitur

bitur. *Laym. l. c* Quintò, illum, qui habet ejusmodi beneficium, quod non suppetat bonam partem sustentationis, quia sicuti talis probabiliter non obligatur ad Horas, ita multò minùs ad restitutionem, vid. *Diar. p. 1. tr. 12.*

*Tamb. &c.* Sufficiunt autem inter Germanos pro Clerico mediocri sortis pro bona parte sustentationis viginti ducati, qui quartam inò tertiam partem honeste sustentationis ipsi prestabunt, cum multi annuè 50, aut 60. ducatis contenti sint, v. *Cob. tr. 3. cas. 13. sect. 2.*

Quantum sufficiat pro Clerico mediocri sortis pro bona parte sustentationis in Germania.

## CAPUT VII.

*Restitutio fructuum qualiter, & cui facienda*

**R**estitutio facienda est etiam ante sententiam judicis ex comm. DD. Vid. *Sentent damn. ab Alex. VII. n. 20.* idq; vel Ecclesie, in qua obunet beneficium, aut certè domui & agris beneficii tui, quia hos reparando vel meliorando fructus restitutioni obnoxios impendis in bonum

Estne facienda ante sententiam judicis, & quibus.

proprie Ecclesie ; Excipe, nisi forte in quibusdam locis ab herede illa repeantur, quæ domui & agris beneficii meliorandis impensa sunt : Aut ipsa melioramenta immediatè cedant in solum bonum beneficiati, qui Horas neglexit : vel alteri pauperi Ecclesie, aut aliis quibuscunque pauperibus ; Esto sint parentes aut cognati, si juxta statum suum verè pauperes sunt, vel etiam tibi ipsi, si verè pauper es, vel defunctis, procurando ipsis dato stipendio sacra aut alia suffragia. *Fill tract. 23. n. 325. Nav. &c.* Aut hæc curando tibi ipsi pro expiatione peccati admissi per neglectum Officii divini. *Suarez lib. 4. de oratione cap. 30.* Vel denique in partem restitutionis computando omnes eleemosynas, quas fecisti pauperibus post neglectum Officium, etsi tunc non cogitaveris de satisfactione, quia faciens eleemosynam, videtur virtualiter intendere ac velle, ut per illas satisfaciatur omnibus obligationibus per peccata à se commissa contractis. *Suarez l. c.* Verùm hoc dici non potest de eleemosynis, quas fecisti, antequam Officium omis-

Quid si fructus restitutioni obnoxios det parentibus, aut aliis cognatis indigis : Aut ex his pro defunctis curat sacra vel alia suffragia : Vel hæc curet pro expiatione proprii peccati admissi per neglectum Officii divini. Poteruntne in partem restitutionis computari eleemosynæ, quæ post neglectum

omittere. V. *Sentent. damn.* Officium  
*ab Alexan. V. I. num. 31.* Sunt, pauperibus  
 qui arbitrentur, obligationi re- data sunt.  
 situendi posse satisfieri per ge-  
 minatam Officii restitutionem, Fietne satis  
 quia redditur æquale. Vid. *Gob.* dictæ obli-  
*L. c.* qui hoc ipsum admittit gationi per  
 tanquam probabile propter au- geminatam  
 thoritatem extrinsecam quo- Officii reci-  
 rundam DD. ita sentientium, tationem.  
 verùm hæc sententia *Bulle Pij V.*  
 & recepto DD. sensui nimium  
 contrariari videtur.



P A R S II.

De

MISSÆ SACRIFICIO.

PROEMIALIA.

De Eucharistia.

**E**ucharistia dupliciter consi-  
 derari potest. Primò, ut est Explicatur.  
 Sacramentum. Secundò, ut quid sit Eu-  
 est Sacrificium. Quatenus Sacra- charistia, ut  
 mentum : est res permanens, & est Sacra-  
 consistit essentialiter in duobus, & quid ut  
 nempe in speciebus Eucharisticis, est sacrifi-  
 & in cium.